

unde in amore proximi est motivum formale charitatis, ob quod amor ille merito refertur ad charitatis habitum : e contrario revelatio divina non connectitur cum proprietate, a qua dicens essentiam præscindit ; adeoque nequit esse motivum ad eam credendam.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. A. Cognitio creaturarum in quocumque medio a beatis habita pertinet ad lucem gloriæ *N.* formaliter in Verbo seu in divina essentia a beatis habita *C.* Quia vero ad hanc habendam requiritur, ut actus, quo cognoscitur essentia divina, idem sit, quo cognoscuntur creaturæ, et præterea Dei essentia sit ratio formalis ac motiva, cur creaturæ cognoscantur ; patet hanc formalem in verbo cognitionem creaturarum omnino pertinere ad lumen gloriæ ; cum ex opposita ratione assensus proprietati præstitus ad fidem pertinere nequeat.

Ad Conf. 2^{am}. R. Ejusmodi actum detestationis (si supponatur tam objectum materiale scilicet peccatum, quam formale scilicet malitiam aversari, neque habere pro objecto formali *ut quod*, saltem partiali, bonitatem divinam, quam prosequatur) non esse theologicum neque pertinere ad habitum charitatis, utpote cujus objectum formale, a quo tamen tam actus aversativus quam prosecutivus virtutis specificari debet, *ut quod* non attingit. Si vero ejusmodi detestatio sit quidem aversativus objecti materialis, sed tamen vel partialiter vel totaliter prosecutivus, ratione objecti formalis, erit quidem theologicus et spectans ad charitatem ; sed quia hinc etiam proprium motivum charitatis habet, aperte discrimen inter *Ant.* et *Cons.* elucescit.

Inst. 2. Multa sunt de fide quæ *virtualiter* tantum sunt revelata. *Prob.* Quæ Ecclesia definit, sunt de fide : sed Ecclesia multa definiit, quæ tantum sunt *virtualiter* revelata, v. g. Christum habere duas voluntates, quod tantum *virtualiter* revelatum erat in revelatione duplicis in Christo naturæ ; ergo. *Conf.* Negans Christum esse risibilem censeretur hæreticus, quia revelatum est Christum esse hominem ; imo esset formaliter hæreticus, quia qui negat proprietatem, negat etiam essentiam, et hinc, negata risibilitate, negaret humanitatem revelatam ; ergo aliquæ veritates sunt de fide ex vi revelationis, in qua *virtualiter* tantum continentur.

R. N. Ass. Ad prob. D. M. Quæ Ecclesia definit ut credenda, sunt de fide *C.* quæ definit tantum ut theologicæ certa *N.* Similiter *D. m.* Ecclesia multa definit ut credenda, quæ tantum sunt *virtualiter* revelata *N.* ut theologicæ certa *C.* De fide credendum nihil Ecclesia proponit, nisi quod implicite saltem est revelatum in verbo Dei scripto vel tradito : potest tamen id quod *virtualiter* in revelato continetur, proponere tanquam theologicæ certum, ita ut oppositum illi sentire sit temerarium et schismaticum, non vero hæreticum ; duas enim in Christo esse voluntates revelatum est *immediate* in Scriptura. Ex hac constat Deum habere propriam voluntatem, et Christum esse Deum, ac consequenter habere voluntatem divinam : præter hanc autem alteram adhuc fuisse in Christo voluntatem nempe humanam, similiter habetur in Sacris Litteris, ubi Christus Luc. 22. dixit : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Cæterum hic non suscepimus definire in particulari, sitne de fide hæc vel illa veritas singularis.

Ad Conf. R. D. 1^{am}. p. Ant. Censeretur hæreticus, quia præsumeretur

negare humanitatem explicitè revelatam *C.* quia et si præcisè negaret aut connexionem inter humanitatem et risibilitatem aut revelationem risibilitatis *N.* Circa hunc *sylogismum* : Omnis homo est risibilis : Christus est homo ; ergo Christus est risibilis ; triplex casus est possibilis : 1^o. ut quis non penetraret connexionem essentiae ac proprietatis : quo casu ille negaret majorem, nec dici posset hæreticus, ut per se liquet : 2^o. ut quis, penetrata connectione illa et præmissis concessis, neget consequentiam ; quo casu quia præsumitur negare conclusionem non ex eo quod neget evidentem illationem, neque etiam præmissam naturaliter evidentem ; sed quod neget præmissam revelatam, quæ est obscura, etiam præsumitur et arguitur esse hæreticus ; quamvis si reipsa non negaret revelatam præmissam, revera non foret hæreticus : 3^o. ut quis penetraret illam connexionem et concedat etiam totum, sed neget consequens esse de fide ; et sic non foret nec præsumi posset hæreticus, sed responderet secundum nostræ sententiæ principia.

Ad 2^{am}. p. N. Ass. et ejus prob. D. Qui negat proprietatem, negat etiam essentiam ut emanantem talem proprietatem *C.* negat eam absolute sumptam, secundum se, et prout est revelata *N.* Potest enim quis, ex proxime dictis, negare connexionem proprietatis cum essentia, adeoque negando proprietatem non negare essentiam.

74. *Observa.* Ex priore præsentique articulo, corollarii more, inferri decidere solet, num *fide divina* credi possit, quod hoc numero Concilium representet Christi Ecclesiam : præsens Romanus Pontifex sit verus Papa et Christi Vicarius : hic Sanctus solemniter a Papa canonizatus fruatur æterna beatitudine. Sed quia singulares sunt cum Hæreticis æque ac Catholicis controversiæ de *Majore* revelata et *Minore* naturaliter certa, quæ tanquam præmissæ afferuntur pro illis veritatibus in conclusione affirmandis ; hinc ad illas controversias in altera parte plenius respondere licebit.

CAPUT II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN SPECIE.

Nomine objecti materialis fidei *in specie* designamus hic articulos fidei Catholicæ, qui id ultra objectum fidei materiale addunt, quod sint fidei propositiones de re ejusmodi, quæ per se ad fidem spectet, et specialem credendi difficultatem contineat. In hujus autem argumenti pertractatione primo quidem de Symbolis, utpote articulos fidei nostræ continentibus, tum de articulis ipsis, demum de quibusdam eorum affectionibus dissetur.

ARTICULUS I.

AN OBJECTUM MATERIALE FIDEI CONVENIENTER TRADATUR IN SYMBOLIS FIDEI?

75. *Nota.* Symbolum, *vi nominis*, collationem significat, *ex usu* sumitur pro indicio ac tessera; prout fidei applicatum dicitur summa vel comprehensio fidei seu credendorum simplex, brevīs et plena: ut nempe simplicitas ruditati, brevitās memoriæ, plenitudo consulat doctrinæ. *Finis* symboli hujuscemodi conficiendi generatim fuit triplex: 1°. ut docentes haberent unam eandemque fidei regulam, quam omnibus proponerent: 2°. ut discētes tenerent fidei formulam, quam memoriæ facile mandarent et frequenter profiterentur: 3°. ut fideles secum invicem consentirent, ab infidelibus discernērentur et a falsis Doctoribus tuerentur. Symbolorum præcipuorum tria communius referuntur: *Primum* dicitur APOSTOLICUM, habetque pro auctoribus Apostolos, incipit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Secundum* dicitur a S. THOMA symbolum PATRUM, ab aliis NICENO-CONSTANTINOPOLITANUM, quia a Patribus in Concilio Nicæno I. inchoatum, in Constantinopolitano I. auctum fuit, incipit: *Credo in unum Deum. Tertium* dicitur ATHANASIANUM, atque tribuitur S. ATHANASIO episcopo Alexandrino, et incipit: *Quicumque vult salvus esse.*

76. *Dico.* Objectum materiale fidei in memoratis tribus Symbolis convenienter traditur.

Prob. Convenientia hæc patet 1°. ex *argumento* symbolorum; tum quia in iis continetur, quidquid explicite credi debet: tum quia in iis ponitur, quod per se pertinet ad Dei beatitudinis nostræ, Christi viæ salutis nostræ, aliorumque mediorem cognitionem, propter perfectionem et obedientiam intellectus, spem firmandam et excitandam charitatem: tum quia alii magis particulares fidei articuli in his generalibus virtualiter continentur. 2°. Ex particularibus symbolorum *finibus*, qui in *primo* erat instructio fidelium, in *secundo* refutatio hæresum tunc natarum, in *tertio* major declaratio et mysteriorum explicatio. 3°. Ex *auctoritate* symbolorum, quam non Auctores eorum duntaxat, de quibus mox dicitur, sed et Ecclesiæ propositio conciliavit; cum illa fecerit hæc symbola sua, et Apostolicum omnibus fecerit commune, illud Patrum singulis dominicis et festis solemnioribus sacerdotibus in Missæ sacrificio, ministris autem Athanasianum in Officio Divino recitandum præceperit.

77. *Observa.* Equidem fidei articuli omnes non in his symbolis, sed in professione fidei juxta præceptum Concilii Tridentini aperte continentur; verum nec illud symboli ratio permittebat, aut exigebat, nec necessitas errorum oppositorum urgebat, nec ratio disciplinæ patiebatur. Hinc quamvis articulus de Eucharistia antonomastice vocetur mysterium fidei, tamen in nullo symbolorum vel de illo vel de alio Sacramento præter Baptismum fit mentio; quia Apostoli et Patres voluerunt duntaxat tradere compendium doctrinæ fidei de iis, quæ spectant ad fidem speculativam, et quæ indiscriminatim, ab omnibus adultis credi debent ante Baptismum; reliqua enim

explicabantur tunc, quando per Baptismum erant facti aliorum Sacramentorum participes, et eorum urgebat præceptum; quod ipsum de Eucharistia testatur S. AUG. Tr. 11. in Joannem n. 3. Quod dissonantiam lectionum, præsertim circa symbolum Apostolicum, attinet, aut ad particulas quasdam et verba ab hoc symbolo ommissa, ab alio asserta spectat, negandum non est, occasione posteriorum hæresum, nonnulla, doctrinæ substantiam nihil immutantia, fuisse adjecta, vel, quia rudibus jam abunde nota neque tum controversa, subinde esse ommissa.

De Christi vero ad inferos descensu, quem David Psalm. 15. 40. Petrus Act. 11. 22. prædicavit, notandum venit ipsum dogma ab antiquissima Patrum traditione confirmari, cum de eo testentur IREN. L. 5. adv. Hæres. c. 31. n. 1. et L. 4. c. 45. (al. 28. n. 2.), CLEM. ALEXAND. Strom. L. 6. (opp. p. 637. C. edit. Morelli, Paris. 1629.), TERTULL. de Anima c. 7. et 55., ORIG. hom. 15. in Gen. n. 5. (opp. t. 2. p. 101. F.) et L. 2. cont. Celsum n. 43., ATHAN. L. 2. cont. Apollin. de salut. Adv. Christi n. 15., HILAR. PICTAV. in Ps. 53. n. 14., BASIL. in Ps. 48. n. 9., GREG. NAZIANZ. hom. 43. de Pasch. n. 24., EPIPHAN. hom. in Sepulch. Christi (opp. t. 2. p. 267.), AUG. L. 20. de Civit. Dei c. 15., HIERON. in c. 2. Jonæ v. 6., LEO M. Serm. 25. c. 5. et alii. Quanquam vero symbola Patrum de eo mentionem non faciant, id tamen articuli veritati minime officit; tum quia extat in symbolo apud CYRILL. HIER. Catech. 4. n. 5. et apud EPIPHAN. L. 2. adv. hæres. in compendio fidei, qui ambo floruerunt seculo quarto: tum quia si omissum est, testante RUFINO in exposit. Symbol. n. 18., id evenit quia videtur hic articulus intelligi in verbis præcedentibus, *mortuus et sepultus est*: tum si recens adjectum fuit, id factum est ob majorem *Apollinaristarum* et *Lucianistarum* Arianorum, animam Christi negantium, confutationem; quin tamen hunc articulum referre deberent Patres Nicæni, qui dum adversus universam Arianorum sectam Christum cum Patre consubstantialitatem et passionem profiterentur, hoc ipso et *Apollinaristarum* et *Acacianorum* errorem confodiebant.

QUÆRES I. An Apostoli condiderint Symbolum, quod dicitur Apostolicum?

78. *Nota.* I. Triplici modo symbolum dici potest Apostolicum: 1°. quatenus Scripturis et Apostolicæ doctrinæ non repugnat: 2°. quatenus ab Apostolorum temporibus jam traditum ac pervulgatum fuit: 3°. quatenus ita est ab Apostolis traditum, ut ab iis quoque conditum sit atque digestum. Quoad duplicem priorem usurpationem, consentiunt plerique omnes symbolum recte dici Apostolicum; unde et CALV. L. 2. Inst. c. 16. *Neque enim dubium est*, inquit, *quin a prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum seculo, instar publicæ et omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit.* Veritas autem ipsa patet ex testimoniis antiquissimorum Patrum, quæ recitat NAT. Alex. Dissert. 12. Sec. I. ex qua sufficiat laudasse IREN. TERTULL. et HIERON. quorum primus L. 1. adv. hæres. c. 10. n. 1. (al. c. 11.), de symbolo, cujus partem repetierat, ait, *Ecclesiam per omnem terrarum orbem dispersam ab Apostolis eorumque discipulis accepisse eam fidem*; alter L. de Præscript. c. 37. *In ea*, inquit, *regula incedimus quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit*; quod autem hæc de symbolo scribat TERTULLIANUS, patet ex L. de vel. Virgin. c. 1. ubi ait: *Regula fidei*

una omnino est... credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus J. C. etc. Postremus L. cont. Joann. Hieros. n. 28. asserit, *Symbolum fidei et spei nostræ ab Apostolis traditum.* Quoad ultimam vero acceptionem, Apostolicum negant, contra unanimem fere Catholicorum sententiam, alii non pauci, inter quos, post *Calvinum* et *Erasmum*, præcipui sunt Gerard. Vossius diss. 1. de S. Symbolis, Dupin in Nov. Biblioth. Tom. 1., Auctor Anglus in Hist. Symb. Apost.

79. *Nota II.* A quæstione hac controversa distinguendæ sunt aliæ duæ, quæ versantur circa *tempus et modum*, quo symbolum ab Apostolis conditum fuit; quamvis enim temporis, finis ac modi cognitio admodum explorata non habeatur, id tamen ipsam rerum narratarum substantiam minime elevat; si quidem hæc non repugnat et validis testimoniis firmatur. De *tempore* quidem sententiæ præcipuæ sunt: 1º. quorundam, qui editum symbolum putant in eo cætu centum et viginti virorum, de quo Act. 1. mentio habetur: 2º. Baronii, ad an. 44., qui arbitratur conditum anno secundo Claudii paulo post mortem Jacobi Majoris: 3º. RUFINI Præf. in exposit. symb. et ISIDORI HISPAL. de Eccles. offic. L. 2. c. 23. qui statuunt illud esse confectum statim post adventum Spiritus sancti, ubi Apostoli ab invicem discessuri normam prædicationis, baptizandorum Catechesin, et Ecclesiarum institutionem in unam formulam conferendam existimarunt. De *modo* autem 1ª. sententia est AUGUST. Serm. 115. de temp. (al. in Appen. serm. 241. n. 1.), LEON. M. in ep. 13. (al. 31. c. 4.) ad Pulcheriam, aliorumque, qui volunt singulos articulos symboli a singulis Apostolis esse statutos: 2ª. est RATBERTI PASCHASI et communior Recentiorum, qui putant Apostolos condidisse hoc symbolum in commune consulentes, ea ratione qua eduntur Canones in Synodis Episcoporum.

80. *Dico.* Ipsi Apostoli Symbolum Apostolicum condiderunt.

Prob. Ex Patrum testimoniis num. 78 laudatis, quibus accedunt S. AMBROS. L. 1. ep. 7. (al. 42. n. 5.) ad Siricum, COELESTINUS I. in epist. ad Nestorium (Labb. t. 3. p. 357. A.), RUFINUS et LEO M. locis cit., CASSIAN. L. 6. de Incarn. c. 3. et 4., S. MAXIM. hom. de tradit. symb., Patres Conc. Ephesini in Relatione ad Imp. de Nestorii depositione (Labb. t. 3. p. 570. D.), aliique, qui illud symbolum vocant *Apostolorum*, vel dicunt *Apostolorum signatum sententiis*, vel *per Apostolos traditum* aut *ab Apostolis traditum acceptumve* pronuntiant; atque hæc quidem non ex proprio quasi invento, sed ex traditione prædecessorum proferunt. Unde RUFINUS de symbolo præfationem his verbis orditur: *Tradunt Majores nostri*; Hieron. vero, AUGUST. aliique symboli interpretes illud tanquam vetustissimum et a primis Christianis acceptum laudant.

Conf. Juxta S. AUG. regulam, L. 4. de Bapt. cont. Donat. c. 24. datam, *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica*, h. e. ab ipsis Apostolis auctoribus, *traditum rectissime creditur.* Sed Ecclesia universa imprimis tenet hoc symbolum, ipsis Adversariis fatentibus: idem dein semper seu a primis jam seculis retentum fuit, cum Patrum productorum quidam seculo secundo et tertio floruerint, et alii testentur de antiquitate symboli: ex quo denique liquet, idem non fuisse editum in Concilio Oecumenico, quorum primum seculo

quarto habitum fuit. Præterea autem cum particulare Concilium nullum assignari possit, neque etiam ostendi quomodo a particulari editum fluxerit ad universam Ecclesiam, neque singularis aliquis auctor unquam fuerit proditus, aut cum fundamento atque auctoritate, ad universalem adeo receptionem necessaria, proferri queat; sequitur symboli originem non nisi ab Apostolis repeti posse.

81. *Nec dicas* 1º. Si symbolum esset ab Apostolis compositum; Lucas hoc retulisset in Actis Apostolorum, vel Apostolus alius suis inseruisset epistolis. 2º. Deberet esse pars Scripturæ ac Canonicum, licet ab aliis scriptum; uti sunt Epistolæ Pauli, quarum illa ad Ephesios per *Tychicum*, ad Romanos per *Phœben*, ad Philippenses per *Epaphroditum* scripta est. 3º. Idem fuisset in omnibus Ecclesiis; cum tamen diversa sint, quæ Orientales habent, ab usurpatis in Ecclesia Occidentali, et in hac etiam Romanum ab Aquileensi et Ravennatensi.

R. N. seq. Ad 1ºm. R. S. Lucas, ut notat Hieron., *multa prætermisit historiographi licentia*, nec omnia ab Apostolis dicta aut facta perscripsit. Ratio vero cur ipse et alii in epistolis Canonicis prætermittere symbolum poterant, erat tum ejusdem divulgatio jam facta et ad omnes fideles perlata notitia, tum quod eo fine editum fuit *ut non atramento aut charta scriberetur, sed in tabulis cordis*, ac memoria retineretur, ut affirmant Hier. supr. cit. et AUGUST. Serm. 75. de diversis. (al. 212. n. 2).

Ad 2ºm. R. N. seq. quoad partem Scripturæ, ex modo dictis; ex quibus uti et ex RUFINO l. c. et CHRYSOLOGO Serm. 62. constat symbolum viva solum voce, non autem scripto, fuisse ab Apostolis conditum; quomodo autem quod traditum est et non scriptum, Scripturæ pars dici potest? Ad vocem *Canonicum* D. deberet esse Canonicum hoc sensu, quo aliquid tale dicitur, quod est in Scripturæ canone N. quo dicitur tale, quod est Canon sive regula fidei, quæ ratione etiam Traditiones non scriptæ canonicæ dicuntur C. Quæ de Scrip-toribus *Paulianarum epistolarum* adduntur, lapsus sunt *Basnagii* et divinationes; cum memorati transtulisse quidem illas epistolas, non autem scripsisse legantur.

Ad 3ºm. R. N. Seq. Diversitas autem symbolorum, quæ ad voces duntaxat aut quædam additamenta ex dictis pertinet, mira videri non debet, cum symbolum, quod una duntaxat lingua, *Hebraica* scilicet aut *Syriaca*, compositum et sola traditione erat diu servatum, in diversarum linguarum translatione facile aliquam mutationem tulerit. Cæterum in Romana Ecclesia eadem forma, ordine ac sententiâ Apostolicum symbolum fuisse recitatum, quibus fuit conditum, testantur RUFINUS, et AMBROS. ad Siric.

82. *Nec dicas* 2º. Symboli 1. nec erat *necessitas*; quia hæc oritur ab hæresibus, quarum tamen nullæ Apostolorum tempore natæ fuerant: nec *usus*; quia Patres primorum seculorum auctoritate hujus symboli nunquam conati sunt doctrinam contra hæreticos stabilire; unde videtur illis aut ignoratum, aut persuasum fuisse illud non fuisse editum ab Apostolis: neque *æstimatio*; cum in Missa non canatur symbolum Apostolicum sed Constantinopolitanum. 2. TERTULLIANUS in relatione symboli (L. de vel. Virgin. c. 1.) non refert articulos de Christi descensu ad inferos, de Spiritu